


**05  
A  
337**



IN NOMINE JESV!  
COLLEGIUM TERTIUM  
DISCUSSIONIS

ANATOMI-  
AS AUGUSTANÆ CONFES-  
SIONIS, PER THOMAM HEN-  
RICI TENTATÆ,

*Cujus*  
DISPUTATIONEM III.  
EX ARTICULO VI.

*De*  
JUSTIFICA-

TIONE,

PRÆSES

JOHANNES Deutschmann, D.

& Theol. Prof. Publ. Extraordin.

*RESPONDENS*  
CHRISTOPHORUS GRAUEL,  
Jütrebocensis Saxo.

D. Maji Horis locoq[ue] consuetis.  
*proponent*

PVITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, 1669.





Illustri Generoso, Reverendissimis, Nobilissimis, Magnificis Amplissimis  
Excellentissimis.

**DN. HAUBOLD à MILTITZ,**  
Serenissimi Electoris Saxonie Camerario & Consilio E-  
minentissimo, Consistorii Electoralis Supremi Präsidij Prä-  
cellentissimo, Electoralis Aulæ Marschallo, Präfecto in  
Colditz / Lichtenwalda Nawensorge Sachsen und Fran-  
ckenberg Laudatissimo &c: Toparchæ in Schen-  
ckenberg / Oberaw & Scharffenberg

**DN. D. JACOBO VVELLERO**  
à Molßdorff Theologo de universâ Ecclesiâ Christi meri-  
tissimo, & adhuc optimè merenti, Serenissimi Saxonie  
Electoris Concinatori Aulico Primario, Confessionario  
Consiliario Ecclesiastico Eminentissimo, Hære-  
ditario in Karsdorff &c:

**DN. CHRISTOPHOROBULÆO**  
S.S. Theol. D. meritissimo, Ecclesiæ Dresdensis Pastori, E-  
jusque ut & Vicinatum Superintendendi Vigilantissimo,  
Serenissimi Electoris Saxonie Consiliario in Sync-  
dio Supremo Ecclesiastico.

**DN. D. GOTTFRIED BERIN-**  
GER, JCTO Präcellentissimo, Electorali Consiliario Ec-  
clesiastico itidem in Synedio Supremo Hono-  
ratisimo.

*Disputationem hanc Theologicam  
offerre  
Voluit, debuit  
Respondens.*



05 A 337

IN NOMINE JESU!

QVÆSTIO TERTIA

Utrum homo in prima sui justificatione merè passivè  
se habeat?

1. Circa quæstionis momentum advertimus (1) non esse sermonem de homine quovis, sed de prorsus corrupto. Unde nec ad statum integratis, nec ad statum glorificationis, nec ad statum justificatorum, hominis consideratio pertinet in præsenti quæstione, sed in statu corruptionis, quatenus primæ justificationis indigus, hoc loco notatur, quemadmodum ipsi nihil perceptionis, nihil cognitionis in spiritualibus conceditur. I. Cor. II. 14. multo minus eidein aliquid virtutis, vel operationis adscribitur, vel adscribi potest. II. Cor. III. 5.

2. (2) Neque sermo nobis, de continuo justificationis cursu, vel perfecto jam collatae justificationis status, sed de primo statu justificationis ingressu, cum disertis verbis primæ justificationis mentio fiat. Verba siquidem secundum substratam materiam, & quoad conditionem subjecti, sunt intelligenda: homini prorsus corrupto, vel extra gratiæ Dei sensum constituto, neque continuus justificationis cursus, neque consummatus justificationis status conveniunt, sed primus ad justificationem accessus ipsi convenire dicitur, per quem aditus ad Dei gratiam eidem conceditur.

3. (3) Non est quæstio de naturalibus, vel moralibus, sed de spiritualibus operationibus: non de externis, sed internis; non de subjectivis, sed effectivis; non de materialibus, sed de formalibus actibus, qui formaliter ipsam justificationem, vel supernaturalem justificationis actum respiciunt: non de pædagogicis &偶然的 actibus, sed de energeticis & causalibus operationibus, ad justificationis constitutionem concurrentibus: num quoad eas homo quicquam præstare valeat, an verò merè passivè se habeat?

4. (4) Neque disquiritur, de justificatione prima coram hominibus, l. externa justificationis manifestatione, quando catechumenus publicè coram Ecclesia, cœu justificatus habetur, & pro-

verò Ecclesiae membro recipitur: sed de justificatione prima coram Deo, quatenus homo corruptus, & in peccatis mortuus, judicio divino sistitur, & beneficio justificationis primum afferatur: Sic igitur adserimus, quod homo corruptus in prima sui justificatione coram DEO, quoad justificationis actum mere passivè se habeat, nihilque prorsus spiritualiter cooperari valeat.

5. Nostræ thesi directè contrariatur Antithesis Papistica. Sic n. Concil. Trident. sess. 6. can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo ex eis tanti atq[ue] vocanti, quo ad obtainendam justificationis gratiam se disponat, ac preparet, neq[ue] posse dissentire, si velit, sed velut in anime quoddam nihil omnino agere, mereq[ue] passivè se habere, Anathema sit. Qualis autem sit illa dispositio, preparatio & cooperatio, illud prolixè præcedentibus capp. I. d. traditur. Ejus autoritate nixus Thomas Henrici, pariter negat hominem in prima justificatione se mere passivè habere.

6. Nec obstat, quod adversarius (1) præmittit nonnullorum Lutherorum confessionem: Quidam Lutherani docuerunt, hominem non sine sua cooperatione à Deo converti, ut patet ex controversis inter Lutheranos articulis, F. C. insertis. Nam hi Lutherani sunt in F.C. damnati. Dist. igitur inter Lutheranos veros & fictos, titulo & symbolo, nomine & ipsa re tales. Mentiti sunt Lutherorum nomen, qui potius Calviniani, vel etiam Synergistæ, aut alio nomine vocandi fuissent. Fingit quidem quod illorum Pseudo-Lutherorum sententia, de cooperantib[us] arbitrii viribus, sit conformis [1] A.C. que art. 18. doceat: L. A. non habere vim sine Spiritu S. efficiendæ justitiae Dei: quibus insinuet satis, per Spiritus S. gratiam hujus justitiae efficiendæ vim habere. Verum prolixè refutatum hoc Coll. I. d. I. th. 7. ubi multis rationibus, ex ipsa Confessione petitis, hoc Anatomicum commentum discussimus.

7. (2) quod idem conforme sit locis, superiore questione citatis, quibus confessio tradat, universalem esse promissionem justificationis, & omnes invitari, ut per fidem veniant ad Christum. Negat n. recte invitatur, qui nulla ratione venire potest, sed instar laxi ab alio moveri debet. Resp. nec universales promissiones, nec uni-

universales invitationes vires arbitrii confirmant, quia tales invitationes & promissiones non virtutem activam, sed habitus dinem subjectivam, tantum in hominibus presupponunt: virtutem a. operandi conversionem divinitus secum afferunt in verbo, non a. eandem à subjecto requirunt. Illa similitudo quoque, qn. homo saxon comparatur, ultra debitum more Jesuitico non est extendenda, quia homines convertendi saxis comparantur non propterea, quod instar lapidis moveantur, siquidē moventur, ut homines intellectu voluntateq; præditi: fit igitur cōparatio ratione efficientis concursus, non a. ratione materialis vel motus, vel status. Similia nāq;, juxta verbū vulgatū, non sunt eadē, plerūque etiā sunt dissimilia. De similitudine statua, trunci, quas postea nobis oggerit, idem judiciū ferendum.

8. (3) Nec illud obstat, quod sententiae Basiliī rejectiō nem F. C. tribuit. Concordie liber, inquit, & moderni Lutherani ex Luthero docent, hominem naturalibus L. A. viribus nihil quicquam cooperari DEO, dum convertitur: sed instar statua, trunci l. lapidis se habere, ut in eo, tanquam subjecto merè paciente, Deus operetur justificationem. Unde hanc S. Basiliī sententiam: Hominis voluntas in conversione non est otiosa, sed agit aliquid: tanquam sanae de gratia Dei doctrinæ contrariam damnant tit. de B. O. & lib. Arb. Resp. Titulus de B.O. bis in F.C. reperitur p. 588. & 698. nullib[us] v. sententia laudata l. citatur, l. damnatur. Titulo v. de Lib. Arb. p. 680. quidem citatur, sed neutiquam sub Basiliī, verum sub scholasticorum & Pontificiorum nomine: Sic n. habent verba: Quod attinet ad phrases & dicta Chrysostomi & Basiliī: Trahit DEUS, sed volentem trahit (quæ Chrysost. hom. 9. de laudibus Pauli protulit:) Tantum velis & Deus præoccurrit (quæ Basiliī sunt hom. de pænit.) Item Scholasticorum & Pontificiorum: Hominis voluntas in conversione non est otiosa, sed agit aliquid &c. Male proinde noster dictum Scholasticorum & Pontificiorum Basilio tribuit, & F. C. quod ea sub Basiliī nomine hoc ipsum damnaverit, affingit. Sed hic vetus ananomici mos est. Damnatur etiam illa dicta non in sensu Patristico, sed papistico & synergistico, sicut F. C. subjungit: Quia dicta illa pro confirmando naturali L. Arbitrio in conversione hominis contra doctrinam gratiæ Dei [non à Patribus, sed à Scholasticis, Papistis & Sy-

nergisti] introducta sunt, ex proposita declaratione manifeste apparet, formæ sanorum verborum ea non esse analoga, sed cum illa pugnare: Et idcirco, cum de conversione ad Deum agitur, meritò vitanda esse. Hoc igitur modo, loco & sensu rectissimè, juxta scripturam, formulas illas repudiat. Quid v. senserit B. Basilius de L. A. etiam in conversione, ex aliis ejus scriptis, juxta quæ præsens locus explicandus est, ejus assiduo lectori nō obscurū erit. Nunc sufficiat unicus ex Concione de Humilitate locus p. 338. Hæc est altitudo hominis, hæc gloria, ac Majestas, verè cognoscere magnū, & huic adherere, & gloriam ex Domini gloria querere. Dicit a. Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorieatur, dicens, quod Christus nobis natus est sapientia à Deo, justitiaq; ac sanctificatio & redemptio, ut, quæ admodū scriptū est, qui gloriatur, in Domino glorieatur. Hæc n. est perfecta ac in egra gloriatio in Deo, quādo neq; ob justitiā suam quis se jactat, sed novit quidē, seipsum vera justicie indigū esse, SOLA a. FIDE in Christum justificatum. Et gloriatur Paulus ob justitiae sue contemnum, & quod querit per Christum justitiam ex Deo in fide, ut cognoscat ipsum, & virutē resurrectionis ipsius, & participationem afflictionum ipsius, dum conformatur morti ipsius, si quomodo ob viam venias in resurrectionem mortuorum. Hic cecidit omnis superbia altitudo. NIHIL reliquit tibi ô homo ad arrogantiam, cum gloriatio & spes in mortificando omnia sua, & querendo in Christo vitam futuram, cuius primitias habentes ja in his sumus, in totum in gratia viventes ac dono Dei. Et Deus quidem est, qui operatur IN NOBIS ET VELLE ET PERFICERE pro bona voluntate.

9. [4] Nec illud patrocinatur adversario, quod de statu questionis monet, quia dicit, questionem esse non de collatione gratiæ excitantis, l. infusione gratiæ justificantis: quia fatemur, hoc minem horum respectu mere passive se habere, tum quia gratia excitans prævenit hominis operationem, tum quia gratia justificans à solo Deo in anima producitur, non concurrente homine active ad ejus productionem. Nam [1] non tantum excitans, sed etiam operans gratia soli DEO tribuenda circa primam hominis conversionem, quia Deus dat velle, dat perficere Phil. II. 13, [2] hypo-

the-

thesis, de infusione gratiae justificantis, prorsus falsa; sicut alibi probatum, nihil igitur adversario prodesse potest. (3) Adversarius potius sibi met ipsi, aliisque Papistis contradicit. Nam si, circa infusionē gratiae justificantis, homo se merē passive habet, & gratia justificans ita à solo Deo datur, ut homo nulatenus active circa eā concurrat, quod h. l. fatetur Thomas Henrici, sequitur etiam, quod in prima sui justificatione homo se merē passive habeat, quod est in quaestione, quia gratiæ justificantis donatio quo- cunque modo se habeat, nihil aliud est, quam prima justifica- tio, nisi Thomas Henrici primam justificationem sine gratia ju- stificantे fingere, aut gratiam justificantem l. otiosam, l. in- sufficientem, & imperfectam nobis obtrudere velit, quod u- trumque maximè dicitur absurdum. Et certè, si gratia justifi- cationis vere causa justificationis, & circa hanc nihil homo convertendus l. justicandus operari potest, nihil omnino in prima sui justificatione talis homo præstare valet, sed me- rē passive se habet, quæ nostra sententia.

10. (5) Nec illud juvat adversarium, quod quaestione i- psam mutat: *Quæstio tantum, inquit, An homo adultus, ut justi- ficitur, aliquid per Dei gratiam agere debeat, an v. otiosus omnino- sit, & merē passive se habeat?* Nam quæstio, tractationi præscri- pta, loquitur de homine absolute, hæc loquitur de homine adulto (2) Duplicem justificationem ita fingit, aliam adulorum, aliam infantum, quas differentias scripture nescit, quæ tantum u- nam justificationem tradit, [3] tò otiosum esse, & multò magis tò omnino otiosum esse, Lutheranorum mentem non exprimunt; merē passivè se habere negotium non omne, sed spiritualem, e- umique efficientem ad justificationem concursum tantum tol- lunt. Vid. B. Chemnit. p. 1. Exam. p. 125. 126.

11. His præmissis Conclusionem unicam proponit: *Homo adultus in prima sui justificatione non est otiosus, sed per fidei, timo- ris, spei, pœnitentiae &c. actu animam suam disponit ad recipiendā justificationem.* Resp. conclusio non consentit quaestioni primi- tus oblatæ (1) quia illa de homine justificando simpliciter, hæc de homine adulto loquitur (2) Deinde non queritur, an omnino sis- otio-

otiosus homo? quia nemo Lutheranorum ipsi naturales, morales, pædagogicas, materiales &c. actiones denegat: sed hoc queritur: num circa primam sui justificationem negotiosus sit, & in eadem activè cooperari possit? (3) Actus fidei, timoris, spei, sequuntur justificationem, non præcedunt: actus pœnitentie, qui justificationem respicit, non est nostræ virtutis, sed divinae benignitatis, secundum illud fer. XXXI. 18. Converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus.

12. Hanc conclusionem illustrat & confirmat [i] Annotatione. Nota, scribit, quamvis hos actus ante justificationem Papistæ ponant, eos tamen non dicere, solis illos L. A. viribus produci, ut cavillantur Adversarii, sed ab excitante & adjuvante Dei gratia, quæ est exordium justificationis nostræ ita pendere, ut sine illa utiliter ad justificationem fieri non possint, juxta illud August. de Ecclesiæ dogmat. c. 44. Resp. locus Augustini pro nostra militat sententia, prout ex apertis verbis liquet. Si quis, inquit, per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut expedit, aut eligere, sive salutari, i.e. Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absq; illuminatione & inspiracione Spiritus S. qui dat omnibus suavitatem, & in credendo veritatem, heretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli. Non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiencia nostra ex Deo est. Deinde certum est, quod justificatio tota dicatur actio Dei; non igitur assumenta l. adjumenta virium humanarū eidem affingenda sunt. Deniq; falsū est, quod in his sit cavillatio de solis viribus arbitrii, circa justificationis, ejusque dispositionis negotiorum à Papistis adsertis, contrarium superius non semel est demonstratum.

13. II. Argumentorum productione, Producit a. duo principalia, & sub his alia subordinata proponit. (1) Ex scriptura. [i] Quia Scriptura passim jubet peccatores pœnitentiam agere, ut justificantur. fer. XIIIX. 8. Ezech. XLIIX. 21. Resp. in genere à præcepto ad posse, i.e. N.V.C. Deinde Scriptura jubet pœnitentiam age-re, non alio, quam in S. L. præscripto ordine, scil. ut Spiritu

tui S per verbum & Sacra menta in cordibus nostris conver-  
sionem operari volenti , neutquam resistamus. Denique  
si iussa talia simpliciter essent intelligenda , homo solus esset  
suæ justificationis & conversionis causa , quod ipsimet Papistæ  
non audent adserere. In specie. Jerem. XI/X. 8 Si pœnitentiam  
egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum adversus eam : agam  
& ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Resp.  
Loquitur Propheta de *Israelitis* , populo circumcis o ; h. l. v.  
de prima justificatione quæstio: penitus igitur h. l. est alienus.  
Deinde juxta B. Chemnit. intelligitur h. l. pœnitentia, non de  
operibus electi tis, l. indebitis, sed quæ constat verâ detestatione  
peccati , & seria agnitione iræ Dei , ac fide in Christum Serva-  
torem , apprehendente remissionem peccatorum , quam pœ-  
nitentiam seqvuntur veri fructus, in mortificatione carnis & e-  
mendatione vitæ. Talis a. pœnitentia non est *Liberi arbitrii*  
opus, sed gratiosus *Spiritus S. effetus*. Alter locus Ezech. XIX. 21.  
*Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatio*  
*est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & justi-*  
*tiam, vita vivet, & non morietur.* Resp. Objectum hujus con-  
cionis pœnitentialis est *domus Israel*. v. 25. non igitur de prima  
justificatione l. conversione, sed de conversione lapsorum, h. l. verba  
sunt intelligenda: Male igitur Thomas Henr. præsentem locum  
allegat. Deinde pœnitentia quoque salutaris, quæ fide fit, non  
a. moralis , quæ virib. arbitrii , nostrisq; virtutibus fiat, à Prophe-  
ta præcipitur.

13. [2] *Quia Scriptura jubet præparare corda sua Domino*  
l. Reg. VII. 3. 2. Paral. XII. 14. Es. XL. 3. Matth. III. 3. &c. Resp. In ge-  
nere nullus horum locorum de prima l. conversione , l. justificati-  
one loquitur: quid igitur adversarius roboris in his querere ve-  
lit nuspiam appareat. Deinde præparatio S. L. consona intelli-  
gitur, ut *Spiritus S. operationem per verbum & Sacra menta*  
admittamus, eidem verò nullo modo resistamus. In specie. 1.  
Reg. VII. 3. Samuel ait ad universam *domum Israel*, ut verba so-  
nant: *Si in toto corde revertimini ad Dominum, auferite Deos a-*  
*lienos, de medio vestri & Astaroth, & præparate corda vestra Do-*  
B mino:

mino : Hebr. dirigite corda vestra ad Dominum, & servite ei soli. Ex quibus manifestum est, quod nec Israe litis omnimoda preparatio concedatur, sed tantum hoc ipsis præcipiatur, ut dirigant corda sua ad Dominum, scil. ut non amplius vanis idolis & falsis Diis cōfidant, sed tantum ad Dominum respiciant, ab eoque omnem spiritualem & temporalem salutem expectent. 2. Paral. XII. 14. de Roboamo dicitur, quod fecerit malum, quia non præparavit cor suum, ne quereret Dominum. Resp. Nullum hic loci præcepium occurrit. Deinde Roboam filius erat Salomonis, adeoque, quando dicitur, quod malum fecerit, quod eorū suū non præparaverit, ad querendum Dominum, hæc non de preparatione ad conversionem primam, sed de permanētione in statu conversionis sunt intelligenda. Es. XL. 3. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in planicie semitas DEI nostri. Idem ex Esaia Matth. III. 3. repetitur. Hæc verba de præconio & officio Iohannis Baptiste loquuntur, qui paravit viam Domino verbō & Baptismō : Describit & exponit hoc Angelus Luc. I. 16. 17. Mat. IV. 6. c. III. 1. Deinde jubentur & alii parare viam Domino, non ex arbitrii viribus, i. actibus naturalibus, sed spiritualibus operationibus, quæ Spiritus S. per verbum & Sacramenta in ipsis operari volebat. Nihil a. hæc omnia ad Papisticam ante justificationem præparationem.

14. (3) Quia Scriptura jubet peccatores facere sibi cor novum, Ezech. XXIX. 31. Convertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum. Resp. statim sequitur, quare moriemini Domus Israel: E. nullus iterum de prima justificatione sermo. Deinde cor novum sibi facere debebant, non ex propriis viribus, sed ex Spiritu S. beneficiis, quia cor novum non ex nostra quadam i. preparatione, i. operatione, sed ex grata Spiritus S. donatione contingit Ps. LI. 12. cum solius Dei, opus sit cor novum creare. Denique quia non immēdiatè, sed per media, per verbum & Sacramenta, per Ministeri-

um,

ROB



um, corda nostra renovat, vult ut his ordinariis renovatio-  
nis mediis utamur, & hoc pacto cor novum consequamur.

15. [4] quia Scriptura jubet peccatores se convertere, Act.  
II. 26. Resp. Nullibi tamen Scriptura jubet ex propriis viribus  
se convertere, sed potius Deo tribuit hoc, quod det velle &  
perficere. Phil. II. 13. Deinde conversio nobis præcipitur non a-  
ctivè, sed passivè, sicut inquit Jerem. c. XXXI. 18. Converte me Do-  
mine, & convertar, quia Tu Dominus Deus meus. Denique A-  
ctor. III. 26. conversio non tam homines, quam Christum respi-  
cit, ἀπέτειλεν αὐτὸν εὐλογήν της ψυχῆς, καὶ τῷ ἀποστόλῳ εἴρετο  
διὸ τῷ πονεῖσθαι ψυχήν, quæ verba rectissimè redduntur: Mi-  
siit Christum, benedicentem vobis, in eo scil. ut convertat unum-  
quemque vestrum à peccatis vestris.

16. (5) Quia Scriptura jubet, peccatores venire ad Chri-  
stum, ut reficiantur. Matth. XI. 28. Resp. Modus veniendi du-  
plex est; externus & internus: Exterius homo venire potest ad  
Christum, interius minimè. Deinde refectio non libero arbi-  
trio, sed in solidum Christo tribuitur. Denique venire juben-  
tur, sed modò passim in S. L. exposito, nim. per verbum & sa-  
cramenta, gratiosamq; Spiritus S. operationem, non a. per liber-  
tatis naturalis usurpationem.

17. (6) Annexit huic argumento incommodum: Ad  
quid n. infinitæ tales adhortationes in utriusq; Testamenti Scriptu-  
ra reperiuntur. si homo nihil per DEI gratiam agit, sed tantum pa-  
titur? Resp. Admonitiones illæ non ad activæ conversionis pro-  
prietatem, sed ad conversionis necessitatem ostendendam adhi-  
bentur. Deinde faciunt ad majorem peccatoris confusionem,  
non v. ad liberi arbitrii naturalis excitationem. Denique de-  
monstrant, quid debeamus, non quid valeamus.

18. (7) Addit absurdum. Nemo profetò statuam monet,  
ut se convertat, ut accedat, l. quocunq; modò se moveat, quia ejus ni-  
hil aliud est, quam circumagi, trahi, moveri. Si igitur, ut adver-  
sarii volunt, hominis tantū est conversi, frustra omnino monetur,  
ut ipse se convertat. Resp. Absurdum illud est fictum, non ve-  
rum, quia magna statuā inter & hominem differentia: statua n.

non debet se movere; sed *homo* debet redire ad Deum: *Sicut*  
*sua statione non abutitur; homo prima sua statione pessime ab-*  
*usus est.* *Sicut* moventi non resistit; *homo* moventi Spiritui  
S. s. s. resisterem contendit. &c. Deinde nondum Thomas Hen-  
rici hactenus ullum locum producere potuit, ubi simpliciter  
de prima hominis conversione præceptum sit à D E o, quod sei-  
psum propriis viribus convertere debeat.

19. (8) Urget testimonium: *Præclare admodum* haec de re,  
cum alias s. p. t. m. l. 2. d. peccator. meritis & remiss. cap. 5. loquitur  
*Augustin.* *Adjutor n. noster Deus dicitur*, nec adjuvari potest;  
nisi qui aliquid sponte conatur; quia non sicut in lapidibus in-  
sensatis, aut sicut in eis, in quorū natura rationem voluntatemq;  
non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Resp. Ad-  
juvandi vox, juxta B. Chemnit. l. sumitur in sensu Papistico, l. in  
Patristico quando in hoc negotio adhibetur: Prior significatio  
est *absoluta*, nullam involvens relationem ad nostri coopera-  
tionem; sed simpliciter Deo omnem operationem attribuit,  
& idem est, quod *juvare*, sicut patim in S. L. Deus dicitur nostrū  
auxilium, nostrum adjutorium, l. *adjutor noster*, ubi homo nihil  
præstare valet. Posterior significatio est *relativa*, qn. homini o-  
peratio, Deo v. operationis tantū adjumentū adscribitur. De-  
inde facile comparet ex verbis *Augustini*, quale intelligat ad-  
jutoriū ex parte hominis, scil. quale denegatur lapidibus insensa-  
tis, aut aliis irrationalibus, tale quoq; nos hemini nō denega-  
mus. Sed est saltem adjumentum externum, non internum;  
non *spirituale*, sed *animale*, potius *materiale*, quam *causale*;  
non *effectivum*, sed tantū *pædagogicum*.

20. II. Probatur ex doctrina adversariorum, quia tradunt  
hominem justificari per fidem: quamvis n. vera fides sit donum  
DEI, & Joh. VI. 29. vocetur opus Dei; est tamen simul ipsius ho-  
minis opus, juxta illam Christi l. d. adhortationem: Operamini non  
sibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et cum  
Iudei rogarent: quid faciamus, ut operemur opera Dei? respon-  
dit: Hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille. E. fides  
simul opus DEI est, & opus hominis. Opus DEI, quia omne datum  
opti-

optimum, & omne donum perfectum, defussum est. Opus hominis, quia tametsi nemo credat, nisi ante motus à D E O, vitali tamen actione credit. Unde ipsa Confessio A. tit. de B. O. ait: Inter B. O. præcipuum est, & summus cultus Dei ipsa fides. Si ergo juxta mentem Adversariorum justificamur, dum firmiter credimus, peccata nobis remitti propter Christum, aliquid agimus in justificatione nostra: non omnino otiosi sumus, aut merè passive nos habemus. Resp. N. C. quia à nostri justificatione per fidē, ad nostri cooperationem in prima justificatione, colligere nō licet, siquidē nos per fidē non actuvè nosmetipso justificam⁹, d. per fidē passivè justificamur: E. passivè, non v. activè nos in hac per fidem justificatione consideramur. Malè igitur à passivo ad activum statim adversarius argumentatur. Deinde falsum, quod fides, quæ justificat, sit opus hominis, quia absolute donum D E I dicitur, Eph. II. 8. Quod attinet locum Joh. VI. 27. fallac. divisionis Thomas Henrici committit: integra verba sic leguntur: Operamini non cibum, qui perit, d. qui permanet in vitam eternam, quem Filius hominis dabit vobis. Nam his ipsis ostendit, quod hic cibus sit donum Filii hominis, & v. 29. opus D E I, non v. sit opus hominis. Deinde Christ⁹ h. l. nō cum primū convertend⁹, sed cum Iudeus circumcis⁹, & in Ecclesia viventibus sermonem habebat, imo cum ipsis discipulis v. 67. Denique non solum movetur homo ad fidem, sed tota fides ipsi donatur, & vitalis illa actio fidei, quæ justificat, non est hominis agentis, sed hominis, actionem Spiritus S. per verbum recipientis. Porro verba illa Confessionis art. 20. de B. O. totidem verbis non leguntur: interim dist. inter fidem, quæ justificat, & quæ sanctificat; vel inter fidē, quæ donum Dei, & quæ virtus hominis: Fides est cultus Dei, quatenus ut virtus consideratur, & inter Christianas virtutes numeratur, sicut tres dantur principales hominis Christiani virtutes: Fides, Spes, Caritas: hoc pacto illa verba producta sunt intelligenda. Denique iterum ablutit à questionis statu, cum non sit quæstio, an aliquid agat homo, an penitus sit otiosus? sed an ipse in justificatione, & ad sui justificationem merè passivè se habeat? quod nos adfirmamus, re-

specū spiritualium, non autem respectu naturalium actionum.

21. III. Objectionum apparenti resolutionē.

Nunc enim ad Exceptiones & Objectiones nostras respondere contendit; eas tamen nec omnes, neque primarias adducit, sed pro lubitu unam, i. alteram adsumit, ad quam aliquid regerere possit. Dices (1) *Conversio hominis non tantum tribuitur Deo in scriptura, sed etiam sèpè negatur homini*; E. ipse homo non convertit se, sed tantum à Deo convertitur. Respōdet ipse. Conversionem duplīciter considerari posse, (1) ut significat translationem hominis, à statu peccati in statum gratiæ Dei, & ita soli Deo tribuenda est. (2) ut significat voluntariam aversionem à peccato, & recursum ad misericordiam Dei, qualem habuit Maria Magdalena, Publicanus, latro in cruce. Et hæc conversio, qn. soli Deo tribuitur, phrasi Hebraicâ, soli cause principali, in sensu vide licet comparativo, tribuitur, quod etiam minus principali convenit. Ea de causa dicta producit Joh. V. 34. c. XV. 27. c. VII. 16. Matth. X. 20. Verùm dīcta illa penitus sunt aliena, cum in iis detur comparativus & inclusivus sensus, Christi, respectu Patris, Apostolorum, respectu Dei; sed an in conversione locum habeat iste comparativus sensus, hoc est *χειρόπονος*, quia obiectio soli Deo conversionem tribuit, hominem penitus excludit. Deinde Confessionem adversarii h. l. urgēmus, quia fatetur, quod *conversio*, quā significat translationem hominis à statu peccati in statum gratiæ Dei, soli Deo sit tribuenda, cum hæc conversio nihil aliud sit, quam prima peccatoris justificatio, siquidem per primam justificationem homo peccator à statu peccati in statum gratiæ Dei transfertur: E. hæc prima justificatio soli DEO tribuenda: quidquid a. soli Deo activè tribuendum est, illud activè non competit homini, sed in eo homo se habet merè passivè. Denique de voluntaria conversione ad primam justificationem, & voluntaria aversione à peccato, & recursu ad misericordiam Dei h̄c non est sermo, cum talis conversione non sit irregenitorum, sed renatorum, quam de Maria Magdalena concedere possumus; num a. ejusdem conditio nascuerit publicani, & latronis pœnitentia, illud non probatur.

22. (2)

22. (2) Homo ante justificationem comparatur lapidi: Sicut igitur lapis seipsum emollire non potest: ita homo peccator nihil cooperari potest ad recuperandam vitam suam spiritualem, seu ad sui justificationem. Respondet Adversarius: Peccatorem lapidi comparari, non quia nihil plus per Dei gratiam agit, dum convertitur, quam lapis, dum emollitur; sed quia longa peccandi consuetudine induratur, nec suis viribus emollire se potest. Quanquam tangentie DEO cor lapideum, homo non emolliatur, nisi Deo libere cooperetur: non quidem ad productionem ejus mollitiei, quam sola gratia justificans operatur, sed ad efficiendam preparationem, ad mollitem per timorem & paenitentiam, juxta illud, Joel. II. 13. Scindite corda vestra: Jerem. IV. 4. Auferte preputia cordium vestrorum. Resp. Certas esse hujus comparisonis conditiones verissimum est, nec enim omni respectu lapidi convertendus homo similis dicitur. Falsum a. quod haec duties tantum sit adquisita, ex longa peccandi consuetudine comparata, cum etiam vere sit natura, ex omnimoda hominis, quoad spiritualia, corruptione profecta. Est igitur homo durus ex nativitate & ex consuetudine, adeoque nihil ad mollitem efficiendam in prima sui justificatione afferre potest, & per consequens mere passim se habet. Deinde, si homo durus natura, durus omni sua industria, & sola gratia justificans operatur mollitem, sequitur, quod natura & industria duru ad hujus mollitiei preparationem nihil cooperetur. Denique dicta loquuntur non de prima justificatione, sed de lapsorum conversione, quae duo sunt distinctissima.

23. (3) Homo ante justificationem comparatur homini mortuo: Sicut igitur homo mortuus se ad vitam revocare, aut ad hoc quidquam cooperari non potest: Ita homo peccator nihil cooperari potest ad recuperandam vitam suam spiritualem, s. ad sui justificationem. Resp. Henrici: Peccatorem comparari homini mortuo, quod eam vitam omiserit, quam nisi recuperet, longe melius foret, nunquam fuisse natum. Non autem quod excitatus à gratia Dei nihil quidquam operari possit, quo seipsum preparet, ad vitam illam recipiendam. Quam n. absurdæ esset illa vox Pauli Eph. V. 15. Sur-

ge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus :  
Si peccator mortuo per omnia & quondam esset. Christus in filio pro-  
digio peccatoris vivam nobis imaginem expressit. Luc. XV. sed hic  
antequam stola primā indueretur à Patre, quamvis mortuus es-  
set, juxta testimonium Patris, v. 24. Non merè tamē passivè se ha-  
buit, sed in se reversus est. v. 17. Rx. ; Homo peccator naturaliter mor-  
tuο cōparatur nō respectu vitæ naturalis, sed respectu vitæ spiri-  
tualis, secundum quam verè dicitur mortuus. Eph. II. 1. Nihil i-  
gitur virium ad vitam spiritualem in homine reperitur. Fal-  
sum igitur, quod fingit Henrici, qs. tantūm eventualiter sit  
mortuus, ac nisi recuperet eam vitam, quam amiserit, melius  
sit, eum nunquam natum esse: cum reverà formaliter & actua-  
liter, quoad vitam spiritualem, sit mortuus. Deinde falsum,  
quod tantūm gratia excitans in conversione nostri requiratur,  
cum gratia operans & perficiens ibi reperiatur, quia Deus dat  
velle & perficere. Denique dictum Eph. V. 15. huc non pertinet,  
quia Apostolus eo loco non de conversione prima, sed lapsorum  
agit, cum vitam Christianorum informet, sicut ex antece-  
dentibus & consequentibus est manifestum. Exemplum filii pro-  
digii pariter est alienum, cum filius prodigus etiam ante abitum  
à Patre fuerit filius, qui postea per pœnitentiam ad Patrem est  
reversus. Vel igitur incommodè hoc exemplum ad primam  
hominis infidelis conversionem accommodatur: vel  
ut exemplum ultra similitudinis puncta non  
est extendendum.

\*\*\*\*\*

**G**ratia sola Dei convertit pectora nostra,  
Nil homo corruptus numinis imp̄ḡ habet.  
Gloria nostra nihil, pietatis sancta voluntas  
Nulla venit pravis: gloria vana nihil.  
Gloria vera Deus, qui mollit pectora dura,  
Quo cum particeps, nullus adesse potest.  
Talia scrutaris GRAUELI, gratulor ausis,  
Sic gratus Domino, comp̄geri ḡ Patris !

**JOHANNES Deutschmann,**  
**D.**

05 A 337



VG-12



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IN NOMINE JESV!  
COLLEGIUM TERTIUM  
DISCUSSIONIS  
**ANATOMI-**  
**AS AUGUSTANAÆ CONFES-**  
**SIONIS, PER THOMAM HEN-**  
RICI TENTATÆ,  
*Cujus*  
DISPUTATIONEM III.  
*EX ARTICULO VI.*  
*De*  
**JUSTIFICA-**  
**TIONE,**  
*PRAESES*  
**JOHANNES Deutschmann/ D.**  
& Theol. Prof. Publ. Extraordin.  
*G*  
*RESPONDENS*  
**CHRISTOPHORUS GRAUEL,**  
Jütrebocensis Saxo.

*D. Maji Horis locoqve consuetis.*

VITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, 1660.

